

V Denique pater filii prodigi , per quem intelligitur Deus, mox ut vidit reuerterentem filium, & audiuit, Pater peccavi in cælum, & coram te; cecidit super collum eius , & osculatus eum, iussit affterri stolam primā, annulum, calceos, occidi vitulum saginatum, &cæt. Hæc expositio ferè eadem est cum ea, quam supra attulimus : nam iustitia illa , qua Deus promissam indulgentiam pœnitentibus exhibet, nihil est aliud, nisi fidelitas præstandæ benignitatis extimæ. Sanctus Augustinus per iustitiam Dei, intelligit iustitiam , quam non ex nostris meritis, sed ex gratia Dei habemus : quæ sententia vera est , sed prior magis cōuenit literæ.

IL Et non intres in iudicium cū seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Petiit remissionem peccati ex promissione, & fidelitate Dei: nunc addit aliud argumentum ex conditione & fragilitate generis humani. Non intres in iudicium cū seruo tuo, id est, noli mecum iudicio contendere , neque enim ego resistere audebo , neque me iustum dicam ; sed peccatum meum confitebor. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, id est, quia non ego solus, sed omnis viuens cadet causa, si tecum iudicio contendere voluerit. Omnis enim viuens , aut est peccator, aut iustus in via, aut iustus in patria. Qui peccatores sunt, ut homicidae, adulteri, & similes , poterunt quidem iustificari coram hominibus, apud quos aliorum criminis sæpè occulta sunt, vel iuridice probari non possunt: sed in conspectu Dei non iustificabuntur, quia Deus videt corda, & conscientias , & ex ipsius conscientiæ testimonio conuincet eos. Qui iusti sunt, sed adhuc in via, non iustificabuntur in conspectu Dei , quoniam non audebunt se iustificare; sed cum Apostolo dicent, 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscientius sum, sed non in hoc iustificatus sum , qui enim iudicat me Dominus est . Fortasse enim ille videt in me, quod ego non video; & cum

Job cap.9. dicere debeo , Si habuero quidam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Item non iustificabuntur in conspectu Dei. quoniam intelligunt iustitiam suam, non à se acquisitam, sed à Deo donatam esse, & ideo non se iustificabunt coram Deo, quasi ex se iusti sint , sed gratias agent iustificatori suo. Denique non iustificabuntur in conspectu Dei, quoniam etiam si iusti sint, quia criminibus carent, tamen etiam peccatores se esse intelligunt, quia peccatis quotidiani non carent, & dicunt cum aliis sanctis , Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. & si dixerimus , quia peccarum non habemus, nos ipso seducimus, 1. Ioan. 1. Qui iusti sunt in patria , & criminibus, & peccatis non solum carent, sed etiam inquinari non possunt; non iustificabuntur in conspectu tuo , tum quia iustitiam suam non sibi tribuunt, sed Deo, à quo illam habent, tum quia tanta est puritas Dei, ut comparatione eius omnis alia iustitia iniustitia esse videatur . Stellarum enim non sunt mundæ in conspectu eius, Job. 25. Sed quoniam heretici, Lutherani, & Caluiniani , ex hoc loco probare contendunt, nullam esse in homine iustificatio veram iustitiam, sed solum imputatitiam & omnia opera iustorum esse peccata mortalia , & digna supplicio æterni, si à Deo imputarentur: obseruandum est, Dauidem non dixisse, nullum esse verè iustum ; sed contra dixisse in Psalm. 17. Ecce retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: Quia custodiui vias Domini , nec impiè gessi à Deo meo: Et ero immaculatus cum eo, &c. & in Psalm. 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini . Neque hoc loco dixisse eundem Dauidem, nullus verè iustificabitur, sed , non iustificabitur in conspectu tuo : quod intelligunt Patres. Vel quia iustitia iustorum vera quidem est, sed ab ipsis non est, quasi propriis viribus acquisita, sed à Deo gratia donata . Ita sanctus Augustinus hoc

K k k k k

locus: